



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## In Genesis Enarratio

Chyträus, David

Vitebergæ

VD16 C 2625

I. De Exilijs Ecclesiae omnium temporum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36126**

- II. *Discrimen inter peccata Ignorantiae & ἐκδούρα.*
- III. *Testimonium de pluribus personis Diuinitatis.*
- IIII. *Exemplum Regulae: Peccatum non remittitur, nisi ablatum restituatur.*
- V. *De Intercessione Sanctorum.*

## I.

EXILIA EC-  
clesiae.

VT Abraham in Palestina et uicinis regionibus sine certa sede uagatus est: Sic omnibus temporibus Ecclesia in mundo uelut Hospes & exul uersatur, nec ullum habet firmum & perpetuum domicilium, ut Ebræ. 13. dicitur. Non habemus hic ciuitatem manentem, sed futuram inquirimus. Monent autem hæc exilia nos de primo exilio generis humani ex Paradiso, & hortantur ut cœlestem patriam spectemus, in quam nobis Filius Dei, pro nobis exul in hoc mundo factus, reditum iure postliminij consecit.

a s GERA

GERARA oppidum, ubi Abraham & Isaac peregrinati sunt, in extremis finibus Palestinae versus meridiem, situm est, & duobus miliaribus ab Hebron. Significat autem גרר peregrinationem, Vnde etiam Germanos dictos esse quasi peregrinos, aliqui putant.

## II.

DOMINE, NUM GENTEM IGNORANTEM INTERFICIES?

Execrandum est in Ecclesia paradoxon Stoicorum, quod affirmat omnia peccata paria esse. Nam Deus ipse discernit lapsus uoluntarios ab ijs, qui ignorantia probabili Sanctis interdum accidunt, Vnde Deus ipse hoc loco, Sanctum Regem Abimelech propter probabilem facti ignorantiam excusat. Et congruit Xenophontis dictum ὅσα ἀγνοία ἀνθρώπων ἐστὶν μαρτύρονται ταῦτα ἀνάσσει ἐγὼ νομίζω, Hoc est peccata ignorantiae iudico inuoluntaria esse. Vnde illud Thucydidis ἐγγνωμον τὸ ἀνάσσει.

## III.

Testimonium de pluribus personarum diuinitatis illustre in hoc Capite extat. Nam in nostra uersio habet (Postquam autem eduxit Deus de domo patris mei) in Ebræo haec uerba leguntur הִתְעוּ אֵתִי אֱלֹהִים Hitheu Othi Elohim.